

## Les sources manuscrites de la théorie de la musique (S. IX-XVI)

---

Paris, Bibliothèque nationale de France (*F-Pn*)

[Lat. 3713, f. 38r](#)

Transcription: Shin Nishimagi  
(janvier 2007)

<sup>1</sup> Cum pueris volumus insinuare legere, prius eos abecedarium discere facimus in tabula, ut postquam cognoverint omnes litteras, facilius legere valeant quicquid scribitur litteris. <sup>2</sup> Simili modo qui cantum volunt addiscere, prius oportet eos omnes voces tonorumque varietates in monacorda cognoscere. <sup>3</sup> Quia enim hac disciplina non utimur, tantum temporis antiphonarium discendo perdimus in quanto divinam auctoritatem et gramatice regulam scire potuissemus, <sup>4</sup> et, quod deterius est, nullo umquam spatio temporis ad tantam perfectionem venimus, ut saltem minimam antiphonam absque magistri labore scire possimus, quamque si oblivisci contigerit, nullatenus ad memoriam reformare valeamus.

\*

<sup>1</sup> Interrogatio : *Emisperium* quid est?

**1-4** PS.-ODO mus.  
(*GS* 1, p. 265a-b)

<sup>2</sup> Responsum : *Emisperia* sunt duo capitella que ex utraque parte monacorde cordam tenent, que alio nomine vocantur *magade*.

**1-2** Cf. BOETH.  
mus. IV 18

\*

*Nonanoeane*

<sup>1</sup> *Nona* dicitur a greco quod est *nus*, id est sensus, *noe*, flatus, *ane*, sursum.

<sup>2</sup> Inde *nonanoeane* dicitur ‘sensus flatum ducens ad superiora’. <sup>3</sup> *Oies* vel *aies* interiectiones sunt exhortatorie quasi dicatur ‘agite sursum’. <sup>4</sup> Que interiectiones apud nos interpretantur *Eia*.